A. D. 1913. Nrus VI.

CURRENDA

SUPREMA S. CONGREGATIO S. OFFICII.

1.

DECRETUM

DE QUALITATE MISSAE AD INDULGENTIAM ALTARIS PRIVILEGIATI LUCRANDAM.

Augescentibus in diem concessionibus sive localibus sive personalibus altaris, quod vocant, privilegiati, nec non Missarum cum privilegio ex parte fidelium petitionibus, ne facilis neglectus conditionis, sub poena nullitatis in praesens requisitae, legendi, cum liceat, Missam de Requie aut adiiciendi ad Missam de feria vel vigilia Orationem defunctorum propriam, in grave purgantium animarum detrimentum vergat, supremae huic sacrae Congregationi sancti Officii, cui res universa de Indulgentiis demandata est, pluribus ex locis oblatae sunt preces pro eiusmodi conditionis relaxatione. Quibus mature perpensis, Emmi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores generales, in plenario conventu habito feria IV. die 19. februarii anni 1913. supplicandum Sanctissimo censuerunt, ut sequens Decretum pro universa Ecclesia adprobare, ac de plenitudine Suae potestatis firmum ratumque habere dignaretur: „Ad Altaris privilegiati, quod vocant, Indulgentiam lucrandam, non amplius in posterum sub poena nullitatis requiri, Missam de requie aut de feria vel vigilia cum Oratione defuncti propria celebrari; id tamen laudabiliter fieri, cum licet ac decet, pietatis gratia erga defunctum".

Et sequenti feria V. die 20. eiusdem mensis, sanctissimus Dominus noster Dominus Pius divina providentia Papa X., in solita audientia R. P. D. Adsessori supremae huius sacrae Congregationis impertita, benigne annuere dignatus est iuxta Patrum suffragia. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

M. CARD. RAMPOLLA

L. † S.

† D. Archiep. Seleucien, *Ads. S. O.*

2.

DECRETUM
CIRCA MISSAS TRICENARIAS GREGORIANAS ET ALTARIA ITEM GREGORIANA.

Supremae S. Congregationi S. Officii sequentia exhibita sunt dubia de Missis triginta, quae Gregorianae nuncupantur, nec non de Altaribus, tum ecclesiae S. Gregorii in Monte Coelio Urbis, tum alibi exsistentibus, quae ad instar illius appellata sunt Gregoriana:

I. Utrum sit necessarium, quod Missae triginta, quae Gregorianae appellantur, celebrentur triginta diebus continuis sine interruptione? Et quatenus affirmative:

II. Utrum in casu satisfaciat sacerdos, qui eadem die bis vel ter, vel per se (v. gr. Natalis Domini) vel per alios, celebrationem reassumat, ita ut triginta dierum spatio Missae omnes celebrentur? Et quatenus negative:

III. Utrum idem sacerdos teneatur alium sibi substituere celebraturum Missam aliquam tricenariam?

IV. Utrum quis satisfaciat obligationi curandi tricenarium Gregorianum, si pluribus sacerdotibus triginta Missas Gregorianas distributas committat, eadem die vel paucorum dierum spatio omnes celebrandas ad dictam intentionem?

V. Utrum diebus in tricenario occurrentibus, in quibus Missa de requie a rubricis permittitur, ipsa legi debeat ad onus tricenarii Gregoriani satisfaciendum?

VI. Utrum Altare S. Gregorii in Monte Coelio de Urbe sit vere ac proprie privilegiatum?

VII. Quaenam requirantur conditiones ad obtinendum privilegium Altaris Gregoriani „ad instar“?

VIII. Utrum concedatur privilegium personale Altaris Gregoriani „ad instar“? Et quatenus negative:

IX. Quid dicendum de concessionibus Altaris Gregoriani personalis forsitan iam factis?

Quibus dubiis mature perpensis, Emmi Patres una mecum Generales Inquisitores, feria IV. die 11. decembris 1912. dixerunt:

Ad I. Affirmative, prout in decisis a S. Congregatione Indulgentiarum die 14. ianuarii 1889.

Ad II. Negative.

Ad III. Affirmative.

Ad IV. Negative.

Ad V. Negative; poterit tamen laudabiliter legi, pietatis gratia erga defunctum, diebus, quibus licet et decet.

Ad VI. Affirmative; iuxta Rescriptum ex audientia Ssmi, die 18. februarii 1752

Ad VII. Deinceps Altaria Gregoriana non esse concedenda.

Ad VIII. Negative.

Ad IX. Habeantur ut merae concessiones Altaris personalis simpliciter privilegiati.

Et feria V. die 12. iisdem mense et anno, Ssmus D. N. D. Pius div. Prov. Pp. X., in solita audientia R. P. D. Adsessori S. Officii impertita, supra relatas Emmorum Patrum resolutiones benigne adprobare dignatus est.

M. CARD. RAMPOLLA.

L. † S.

† D. Archiep. Seleucien., *Ads. S. O.*

S. CONGREGATIO DE RELIGIOSIS.

1.

DECRETUM
DE MONIALIUM ET SORORUM CONFESSIONIBUS.

Cum de Sacramentalibus Monialium et Sororum confessionibus moderandis plures ad hunc diem, ex re et ex tempore, iussae sint leges, eas aliqua ex parte immutatas et apte dispositas, visum est in unum colligere Decretum, prout sequitur:

1. Unicuique religiosae communitati tum Monialium tum Sororum, regulariter unus dumtaxat detur Confessarius ordinarius nisi ob magnum ipsarum numerum, vel aliam iustam causam, alterum vel plures dari oporteat.

2. Confessarius ordinarius, regulariter, non ultra triennium in hoc munere permaneat. Episcopus tamen seu Ordinarius eum ad secundum immo etiam ad tertium triennium confirmare poterit:

a) si ob sacerdotum ad hoc officium idoneorum penuriam aliter providere nequeat; vel

b) si maior Religiosarum pars, earum quoque, quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem Confessarii confirmationem, per secreta suffragia, convenerit; dissentientibus tamen, si velint, aliter providendum erit.

3. Pluries in anno, unicuique religiosae communitati detur Confessarius *extraordinarius*, ad quem omnes Religiosae accedant oportet, saltem ut benedictionem accipiant.

4. Unicuique domui religiosae aliquot ab Ordinario sacerdotes deputentur, quos Religiosae in casibus particularibus, confessionis peragendae causa, facile vocare queant.

5. Si qua Religiosa, ad animi sui quietem et maiorem in via Dei progressum, aliquem specialem Confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, erit facile ab Ordinario concedendus; qui tamen invigilabit, ne ex hac concessione abusus irrepant; quod si irrepserint, eos caute et prudenter eliminet, salva tamen conscientiae libertate.

6. Si Religiosarum domus Ordinario loci subiecta sit, hic eligit sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extraordinarios; si vero Superiori regulari,

hic Confessarios Ordinario loci praesentet, cuius est iisdem audiendi confessiones potestatem concedere.

7. Ad munus Confessarii sive ordinarii, sive extraordinarii, sive specialis, deputari possunt sacerdotes, tum e Clero saeculari tum, de Superiorum licentia, e Clero regulari, dummodo tamen nullam habeant in easdem Religiosas in foro externo potestatem.

8. Hi Confessarii, qui annos quadraginta expleverint oportet, morum integritate et prudentia emineant; at Ordinarius, iusta de causa et onerata eius conscientia, ad hoc munus eligere poterit sacerdotes, qui nondum ea aetate sint, modo memoratis animi laudibus excellant.

9. Confessarius ordinarius non potest renuntiari extraordinarius et, praeter casus in articulo 2. recensitos, rursus eligi ut ordinarius, in eadem communitate, nisi post annum ab expleto munere. Extraordinarius immediate ut ordinarius eligi potest.

10. Confessarii omnes, sive Monialium sive Sororum, caveant, ne interno vel externo communitatis regimini sese immisceant.

11. Si qua Religiosa extraordinarium Confessarium expetat, nulli Antistitae liceat, vel per se vel per alios, neque directe neque indirecte, petitionis rationem inquirere, petitioni verbis vel factis refragari, aut quavis ratione ostendere se id aegre ferre; quod si ita se gesserit, a proprio Ordinario moneatur; si iterum id ipsum peccaverit, ab eodem deponatur, audita tamen prius sacra Congregatione de Religiosis.

12. Omnes Religiosae de sociarum confessionibus nullo modo inter se colloquantur, neve eas sorores carpere audeant, quae apud alium, quam deputatum, confessionem peragant; secus ab Antistita vel ab Ordinario puniantur.

13. Confessarii speciales, ad monasterium seu domum religiosam vocati, si intelligant Religiosas nulla iusta causa vel necessitatis vel utilitatis spiritualis ad ipsos accedere, eas prudenter dimittant. Monentur praeterea omnes Religiosae, ut facultate sibi concessa specialem petendi Confessarium sic utantur, ut rationibus humanis sepositis, tantummodo spirituale bonum et maiorem in religiosis virtutibus progressum intendant.

14. Si quando Moniales aut Sorores extra propriam domum, quavis de causa, versari contigerit, liceat iis in qualibet ecclesia vel oratorio, etiam semipublico, confessionem peragere apud quemvis Confessarium pro utroque sexu adprobatum. Antistita neque id prohibere, neque de ea re inquirere potest, ne indirecte quidem; Religiosaeque nihil Antistitae suae referre tenentur.

15. Moniales omnes aut Religiosae, cum graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, quemlibet Sacerdotem ad confessiones excipiendas adprobatum arcessere possunt, eique perdurante gravi infirmitate, quoties voluerint, confiteri.

16. Hoc Decretum servandum erit ab omnibus religiosis mulierum familiis, votorum cum solemnium, tum simplicium, ab Oblatis aliisque piis communitatibus, quae nullis votis obstringuntur, etiamsi Instituta sint tantum dioecesana. Obligat etiam communitates, quae in Praelati regularis iurisdictione sunt; qui

nisi fidelem observantiam huius Decreti curet, Episcopus seu Ordinarius illius loci id agat ipse tamquam Apostolicae Sedis Delegatus.

17. Hoc Decretum Regulis et Constitutionibus uniuscuiusque religiosae familiae addendum erit, et *publice legendum lingua vulgari* in Capitulo omnium Religiosarum, *semel in anno.*

Itaque praerogatis Emmis Patribus Cardinalibus sacrae Congregationis de Religiosis in plenario coetu ad Vaticanum habito die 31. mensis Ianuarii anno 1913, sanctissimus Dominus noster Pius PP. X., referente infra scripto Secretario, hoc Decretum in omnibus adprobare et confirmare dignatus est et mandare, ut in lucem edatur et ab omnibus, ad quos spectat, in posterum apprime servetur.

Contrariis non obstantibus quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis.

Datum Romae ex Secretaria sacrae Congregationis de Religiosis, die 3. mensis Februarii anno 1913.

FR. I. C. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. † S.

† Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius.*

2.

QUOAD COMMUNIONEM INFIRMARUM IN MONASTERIIS CLAUSURAE PAPALIS.

Edito a S. C. Concilii die 20. decembris 1905, Decreto *Sacra Tridentina Synodus*, quo inter alia praescribitur, *ut Communio frequens et quotidiana praesertim in religiosis Institutis cuiusvis promoveatur*, earum consulendum quoque erat sorti infirmarum, quae intra septa monasteriorum clausurae Papalis decumbunt; quum ipsa clausura, prout determinatur in iure canonico vigenti, aliquod in praxi videretur parere incommodum ad frequentiorem earum aegrotantium Communionem, praesertim ex eo, quod regulariter nonnisi confessarius et in eius defectu capellanus et, si sacerdos sit regularis, a socio comitatus, monasterii claustra ingredi valeat ad Sacramenta infirmis ministranda.

Quare Emmi ac Rmi Patres Cardinales S. C. de Religiosis, occasione arrepta quorumdam, dubiorum, quae ad rem proposita fuerant, die 30. augusti 1912. in plenario coetu ad Vaticanum habito, quoad Communionem infirmis deferendam in monasteriis clausurae Papalis, sequentia decernere existimarunt, nempe: In defectu confessarii vel capellani tertius sacerdos, etiam regularis, licet sine socio, legitime vocatus de licentia episcopi, qui pro hac licentia nomine ipsius episcopi concedenda etiam abbatissam seu superiorissam habitualiter designare poterit, sacram Communionem infirmis valeat deferre Religiosis, quae ad ecclesiae crates descendere nequeunt. Oportet autem, ut quatuor religiosae maturae aetatis, si fieri possit, ab ingressu in clausuram usque ad egressum, sacerdotem comitentur,

qui sacram pyxidem aliquas consecratas particulas continentem deferre, sacram Communionem administrare, reverti ad ecclesiam, eamdemque sacram pyxidem reponere debet, servatis rubricis a Rituali Romano pro Communione infirmorum statutis.

Et hanc Emmorum Patrum sententiam et resolutionem Ssmus Dominus noster Pius Papa Decimus, ad relationem subscripti Secretarii, die 1. septembris 1912 ratam habere et confirmare dignatus est. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria sacrae Congregationis de Religiosis, die 1. septembris 1912.

Fr. I. A. CARD. VIVES, *Praefectus.*

L. † S.

† Donatus, Archiep. Ephesinus, *Secretarius.*

S. CONGREGATIO RITUUM.

1.

DECRETUM SEU DECLARATIO

CIRCA RUBRICAS TIT. X. NUM. 2 ET 5. DE MISSIS VOTIVIS ET „DE REQUIE".

In nova Rubrica Constitutioni Pianae *Divino offlatu* adiecta Tit. X. num. 2. et 5. „prohibentur Missae votivae privatae seu lectae pro „defunctis in feriis Quadragesimae, Quatuor Temporum, II. Rogationum, in vigiliis, et in feria, in qua anticipanda vel reponenda est Missa Dominicae; in Quadragesima vero permittuntur Missae privatae defunctorum tantum prima die cuiuscumque hebdomadae libera in calendario ecclesiae, in qua Sacrum celebratur".

Nunc vero ad dirimendas quaestiones nonnullas huic S. Congregationi propositas circa applicationem praefatae Rubricae quibusdam Missis votivis privilegiatis tum in Ecclesia universali, tum certis in locis per Indultum apostolicae Sedis concessis, *firmis manentibus* legibus et *privilegiis Missas* solemnes seu *in cantu respicientibus*, quoad Missas privatas lectas sequentia decernuntur et declarantur:

I. Privilegium Missae votivae lectae, de speciali gratia nonnullis Sanctuariis concessum, ita ut celebrari possit in duplicibus I. et II. classis, seu etiam II. classis tantum; et privilegium Missae votivae Ss. Cordis Iesu in prima feria VI. cuiusque mensis, permanent in suo robore, etiam in feriis et vigiliis per dictam rubricam exclusis.

II. Privilegium Missae votivae lectae aliquibus Sanctuariis aut aliis ecclesiis vel communitatibus regularibus quocumque modo et titulo concessum, ita ut celebrari queat tantummodo in duplicibus maioribus et minoribus, et exclusis feriis, vigiliis et Octaviis privilegiatis, sic erit deinceps applicandum, ut dictae

Missae votivae lectae prohibitae sint in omnibus feriis in praefata rubrica enumeratis. Loco tamen huiusmodi Missae votivae, extra feriam IV. Cinerum, hebdomadam maiorem et vigilias Nativitatis et Pentecostes adiungi poterit oratio ipsius Missae votivae, vel in Missa de die post orationem feriae seu vigiliae, vel in Missa de feria seu vigilia ante alias orationes. Quod si adsit specialis concursus populi, unica Missa lecta ex praedictis Missis votivis celebrari poterit quoties Missa in cantu commode haberi nequeat.

III. Privilegium Missae votivae lectae pro sponsis ita erit applicandum, ut liceat, extra tempus clausum, haec Missa dici etiam in praedictis feriis et vigiliis.


IV. Privilegium Missae pro defunctis lectae aliquibus locis vel Ordinibus concessum ita, ut bis vel ter in hebdomada celebrari possit etiamsi occurat aliquod duplex maius vel minus, in posterum ita erit applicandum, ut intelligatur tantummodo concessum pro diebus, in quibus non occurrat aliqua feria aut vigilia, ut supra. Quapropter in huiusmodi feriis vel vigiliis Missae lectae pro defunctis semper prohibitae sunt exceptis Missis in die obitus vel pro die obitus in ecclesiis, ubi celebratur fanus alicuius defuncti cum Missa in cantu; item excepta unica Missa pro defuncto paupere celebrari potest iuxta decretum 9. maii 1899. n. 4024; item Missis, quae in sepulcretis celebrantur, ad normam decreti 19. maii 1896. num. 3903; item exceptis Missis lectis in prima die libera uniuscuique hebdomadae in Quadragesima iuxta novas rubricas. — Ex indulgentia vero sanctae Sedis habentur adhuc valida, donec expirent, Rescripta quinquennalia, aliquibus dioecesibus et provinciis religiosis exteris nuper concessa, celebrandi bis in hebdomada Missas lectas de Requie in die obitus seu depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario.

Contrariis non obstantibus quibuscunque, die 8. februarii 1913.

FR. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. † S.

† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*



2.

VIENNEN. SEU VENETIARUM.

DECRETUM BEATIFICATIONIS ET CANONISATIONIS VEN. SERVI DEI P. MARCCI AB AVIANO, SACERDOTIS PROFESSI ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCCINORUM ET MISSIONARII APOSTOLICI.

In oppido Aviano, dioecesis Concordiensis, ditionis Venetae, ex honestis piisque parentibus Marco Cristofori et Rosa Zanoni ortum duxit infans, cui in baptismo impositum fuit nomen Carolus. Hic, vix per aetatem licuit, paternam domum dulcemque matrem relinquens, in disciplinam Patrum Societatis Jesu penes collegium Goritiiae transiit, ut litteras cum virtutibus studiose coniungeret. Quum quindecim iam esset annorum, martyrii desiderio flagrans, occulte in Tur-

carum regiones iter arripuit, sed omnia alimenta sua cuidam pauperi largitus, Iustinopoli in coenobio Capuccinorum sistere et victum hospitiumque petere coactus est. Quem Superior humanissime excepit, et certior effectus de proposito iter prosequendi, consilio et opere adiuvit, ut ad suos rediret. In familiam reversus, vocationem religiosam, quam senserat, divina opitulante gratia, ita fovit ut, post annum, Ordinem Capuccinorum ingressus sit. Tyrocinio Conegliani rite peracto, die 21. novembris anni 1648. per manus Aloisii a Verona, moderatoris provinciae Venetae, maximo cum gaudio religionis habitum sumpsit, mutato nomine Carolum in Marcum. Solemni votorum professione obstrictus et per singulos gradus ad sacerdotium evectus, totum se dedit per septemnium sacro ministerio peragendo, iisque dotibus comparandis, quibus magis idoneum Christi ministrum se redderet atque exhiberet. A Superioribus missus primum ad Bellunensem postea ad Opystengiensem praefecturam regendam, singulari prudentia regularique observantia praestitit. Verbo Dei praedicando destinatus, eiusmodi munus Veronae in templo S. Michaëlis per quadragesimales conciones bene auspicatus, in aliis plerisque Italiae ac Europae civitatibus, egregius missionarius, salutariter obivit. Annus 1683. decurrebat valde infensus Hungariae, Austriae, eiusque potissimum urbi principi Viennae, quae, iam fame ac peste vexata, ab innumeris Turcarum copiis irrumpentibus stricta obsidione premebatur. Propugnaculis atque moenibus magna ex parte deiectis, totoque commeatu fere exhausto, civitas illa numero et robore impares habebat defensores contra hostes quinquies maiores. Extremis hisce in angustiis veluti angelus ac sequester pacis apparuit Marcus, missus a Summo Pontifice Innocentio XI. uti legatus ad confoederatum Christianorum exercitum. Duces ad concordiam revocat, omniumque in Dominum Deum exercituum erigit victoriae spem. Vix pugnari coeptum est, ipse, arrepta Crucifixi imagine, per medias acies convolans, animos Christianis, terrorem Turcis iniicit. Inde parta victoria et liberatio Viennae a Turcarum obsidione et incursu, Venetias reversus, ipsius Summi Pontificis auctoritate, foedus adversus communes hostes inter Venetam Rempublicam, Leopoldum imperatorem et Ioannem Sobieski regem felici exitu iniri curavit; quod maxime profuit. Et postquam Turcae, a foederato exercitu terra marique profligati, pacem petierint atque obtinuerint, Dei Famulus non minus Viennensium et Venetorum quam omnium Christianorum salus et columen atque caelestium benedictionum administer consalutatus est. Tandem vertente anno 1699. quadragesimali praedicatione Cenedae absoluta, Viennam iterum petiit, sperans se aliquid rei catholicae ita profuturum. Verum paucos post menses laboribus fractus, in lethalem morbum incidit. Leopoldus imperator, qui Marcum uti amicum et in Christo patrem habebat, aegrotantem sollicita cura frequenter invisit cum sum familia, ipsumque inviserunt Patres purpurati, praelati ac principes et Nuntius Tanara, nomine Summi Pontificis, indulgentiae plenariae largitione morientem recreavit; qui sacramentis Ecclesiae refectus et solus cum Deo suo conversatus, piissimam animam exhalavit die decimatertia augusti. Leopoldi imperatoris iussu, solemnibus exsequiis, frequentissimo clero ac populo confluente, nobilique sepultura et epitaphio honoratus est Dei Famulus, cuius sanctitatis fama post obitum ita

constans usque in praesens perduravit atque increvit, ut super ea in Curiis Viennensi ac Veneta processus Ordinarii Informativi conditi sint; atque huic Venetae inquisitioni idem Patriarcha adstitit ac praefuit, qui nunc in Cathedra Petri sedet, beatissimus Pater Pius X. Delatis autem actis processualibus ad sacram Rituum Congregationem ac servato iuris ordine instante Rmmo P. Josepho Antonio a S. Ioanne in Persiceto, Ordinis Minorum Capuccinorum Postulatore generali, attentis obsequentibus litteris postulatoriis Francisci Iosephi, Austriae imperatoris et Hungariae regis, necnon archiducis Francisci Ferdinandi, aliorumque archiducum et archiducissarum, rogantibus etiam aliquod Emmis Patribus S. R. E. Cardinalibus, plerisque Rmmis Archiepiscopis atque Episcopis, itemque Capitulis ac religiosis Familiis praesertim Ordinis S. Francisci, una cum multis personis dignitate vel nobilitate praestantibus, Emmus ac Rmmus Dnus card. Dominicus Ferrata, huius Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis sacrae Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum, de quo agitur?* Et Emmi ac Rmmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Emmi Ponentis audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde sanctae Fidei Promotore, omnibus accurate perpensis, rescribendum censuerunt: *Affirmative seu Commissionem esse signandam, si Sanctissimo placuerit.* Die 10. decembris 1912,

Quibus omnibus sanctissimo Domino nostro Pio Papae X. per infrascriptum Cardinalem sacrae Rituum Congregationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum eiusdem sacri Consilii ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem introductionis Causae beatificationis et canonisationis Venerabilis Servi Dei P. Marci ab Aviano, sacerdotis professi Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum et missionarii apostolici, die 11. eisdem mense et anno.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. † S.

† Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secretarius.*

3.

DUBIA

DE CAEREMONIIS QUIBUSDAM SERVANDIS CORAM AUGUSTISSIMO SACRAMENTO, ADSISTENTE VEL CELEBRANTE EPISCOPO.

Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione proposita fuerunt; nimirum:

I. In solemni benedictione cum sanctissimo Eucharistiae Sacramento, quando episcopus assistit cappa indutus, et ponit incensum in thuribulo, debetne etiam ipse thurificare Ssmum Sacramentum?

II. Si praedicta benedictio solemnis detur post vesperas pontificales, presbyter assistens throno debetne genuflectere a dextris episcopi in infimo gradu

altaris, eique ministrare incensum ac demum porrigere ostensorium pro benedictione impertienda?

III. Si aliquando contingat, ut episcopus Missam pontificalem celebret coram augustissimo Sacramento exposito, debetne ipse canere *Gloria* et *Credo* et legere Epistolam atque Evangelium in throno, more solito, absque mitra?

Et sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito Commisionis Liturgicae suffragio, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. Affirmative iuxta decretum n. 3035 *Briocen.*, 21. iulii 1855. ad 1.

Ad II. Presbyter assistens accedit ad episcopum tantum pro ministrando incenso et thuribulo ad incensationem; mox locum cedat diacono assistenti, qui deinde ostensorium episcopo est porrecturus.

Ad III. Affirmative in casu; sed iuxta morem et consuetudinem ecclesiarum cathedralium et congruenter menti Caeremonialis Episcoporum, lib. I. cap. 12. num. 8. et 9. episcopus se abstinet a celebranda Missa pontificali coram sanctissimo Sacramento publice exposito.

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 8. februarii 1913.

FR. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus.*

L. † S.

† Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius.*

4.

RUBRICAE

INSERENDAE RITUALI ET BREVIARIO ROMANO IN OFFICIO DEFUNCTORUM.

Ante Vesperas.

Quoties Vesperae separatim ab Officio divino recitantur, dicitur secreto *Pater* et *Ave*; secus absolute incipitur ab Antiphona: *Placebo Domino* etc.

Ante Matutinum.

Quoties Matutinum delationem cadaveris ad ecclesiam ac Responsorium: *Subvenite*, vel Matutinum diei currentis immediate non sequatur, dicitur secreto *Pater*, *Ave*, *Credo*; secus absolute incipitur ab Invitatorio.

Ante IX. Responsorium.

Sequens Responsorium dicitur, quando tres tantum Lectiones huius Nocturni dicuntur.

Post IX. Responsorium.

Sequens Responsorium dicitur loco praecedentis, quando dicuntur pro defunctis novem Lectiones.

Suprascriptas Rubricas Rituali et Breviario Romano in Officio defunctorum addendas, ad normam recentium dispositionum et praesertim Decreti *Romana*

et aliarum diei 25. octobris 1912. sacra Rituum Congregatio adprobavit et in novis editionibus tum Ritualis tum Breviarii Romani inseri iussit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 14. februarii 1913.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. † S.

† Petrus La Fontaine. Ep. Charistien., *Secretarius*.

Altaria portatilia

są do nabycia w kancelaryi Konsystorza po 10 koron.

L. 866.

Stowarzyszenie kapłanów pod wezwaniem św. Józefa w Gorycyi

przyjęło w roku 1912 do swych domów kuracyjnych w Meranie, Gorycyi i Ice 335 księży i 17 kleryków.

Liczy ono 2424 członków z różnych dyecezyi. Z Naszej dyecezyi należy do tego Stowarzyszenia 14 kapłanów.

Ktoby chciał zostać członkiem i korzystać z taniego pomieszczenia i utrzymania w powyższych domach, niech się zwróci: *An den Zentralvorstand des St. Joseph-Priestervereines in Görz* (*Rudolfinum*), *österr. Küstenland.*

Stowarzyszenie dopomaga członkom do uzyskania zniżonych cen jazdy na południowej kolei państwowej.

L. 1183.

SPRAWOZDANIE
Konferencyi Towarzystwa św. Wincentego à Paulo w Pilznie za rok 1912.

Konferencya istnieje od roku 1897. Liczba członków honorowych 5. Liczba członków zwyczajnych z końcem 1911 r. 44. W ciągu roku ubyło 12. W ciągu przybyło 23. Z końcem roku 1912 członków 55.

Towarzystwo odbyło w ciągu roku 10 zwyczajnych miesięcznych konferencyi. Liczba osób wspieranych 22. Obdarowano 25 dzieci szkolnych ciepłem ubraniem „na gwiazdkę“. Nadto udekorowano na miesiąc maj 3 ołtarze N. Maryi Panny kosztem publicznych składek.

SPRAWOZDANIE KASOWE ZA ROK 1912.

A) Fundusz ogólny.

Dochód. Pozostałość kasowa z r. 1911 52 K. 45 h. Wkładki członków 577 K. 94 h. Subwencya miasta Pilzna 100 K. Dar Stowarzyszenia oszczędn. i pożyczek

w Pilznie 100 K. Z kwesty wielkanocnej 42 K 21 h. Dar Najprzewielebniejszego ks. Biskupa Wałęgi 40 K. Z obchodu ku czci ks. Piotra Skargi 40 K. Z kwesty w dniu Zadusznym 43 K 04 h. Datki drobne 5 K 96 h. % od tymczasowo lokowanych pieniędzy za r. 1912 8 K 62 h. Składka na kwiaty do ołtarzy N. M. P. 95 K. 90 h. **Razem 1106 K. 12 h.**

Rozchód. Wsparcia miesięczne dla ubogich i chorych w gotówce i naturze 878 K. 10 h. Za węgle 25 K. 60 h. Kursorce 14 K. 60 h. Pogrzeby 10 K. Sztuczne kwiaty na maj 81 K. 13 h. Reszta od kwiatów dana do funduszu Tow. Adoracyi 14 K. 77 h. Saldo na rok 1913 82 K. 2 h. **Razem 1106 K. 12 h.**

B) Fundusz na ubrania dla biednych dzieci szkolnych.

Dar gminy miasta Pilzna i procent 66 K. Zebrane w drodze składek 151 K. **Razem 217 K.** Wydano na ubrania 210 K. 90 h. **Pozostaje na rok 1913: 6 K. 10 h.**

Mutationes inter Venerabilem Clerum.

Decorati: A. R. DD. Bach Joannes, Par. in Wilczyska et Przywara Michaël, Catecheta Seminarii paedagog. mascul. in Stary Sącz, usu *Expositorii canonicalis.*

Praesentatus ad benef. in Złota A. R. D. Staszałek Franciscus, Par. in Rożnów.

Z KONSYSTORZA BISKUPIEGO.

W Tarnowie, dnia 7. czerwca 1913.

Ks. Dr Władysław Mysor
Kanclerz.

† Leon
Biskup

Nakładem Kleru Dyecezalnego. Z Drukarni Zygmunta Jelenia w Tarnowie